



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corona Sacratissimorum Jesu [Iesu] Christi Vulnervm

Wael Van Vronesteyn, Willem de

Antverpiæ, 1649

§. III. Studiosa virorum Sanctorum, atque servorum Dei erga sacra Domini
Vulnera pietas, atq[ue] veneratio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49125](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49125)

§. III.

Studiosa virorum sanctorum, atque servorum Dei erga sacra Domini vulnera pietas, & eorundem veneratio.

HAnc memoriam, pietatem, ac venerationem, ut frequentiore, atque celebriore redderet Innocentius VI. Pontifex Maximus, postulante Carolo Imperatore ejus nominis IV. festum lanceæ, clavorum, ac quinque Domini Vulnerum, per Germaniam instituit, primo die Veneris post Dominicam in Albis, celebrandum. Quam religionem, ac devotionem æmulatus est Illustrissimus ac Reverendissimus Princeps Ioannes Godefridus, Episcopus primùm Bambergensis, deinde Herbipolensis; qui amico suo, in familiari sermone fassus est, à primis se annis semper dilexisse Salvatoris vulnera, sibiq; benefuisse, quando illorum recordaretur: non bene dum oblivisceretur. Quare ad Ecclesiæ Bambergensis Episcopatum evectus, inter primas

*Fred. Form.
in pref.
Rose Pentaph.*

primas curas, hæc illi fuit, ut collapsum sacrorum quinque Domini Vulnerum festum ad pristinam majorum pietatem revocaret, ac pleno Ecclesiæ officio eum in finem conscribendo, quotannis celebraret: quod officium ubi à Reverendissimo Hebronensi Episcopo Friderico Fornero, suo Bambergæ suffraganeo, perfectum obtinuit, Romam ab Imperatore Matthia ad Paulum V. Pontificem Summum missus, post confecta commissa sibi à Cæsare negotia, quod maximè illi cordi erat, augustissimum sacrorum Vulnerum negotium cum Sua Sanctitate tractandum suscepit, ei que officium suo hortatu conscriptum, obtulit, quod Pontificis mandato, ab Eminentissimo, ac Reverendissimo S. R. E. Cardinale Bellarmino examinatum, & probatum, Sanctitas sua vivæ vocis oraculo ratum habuit; ac deinde à Gregorio XV. singulari diplomate fertur confirmatum. Sed vitâ prius excessit optimus Præsul quam potuerit tam pia desideria complere. Successit illi in Episcopatu Bambergæ

bergensi ac Herbipolensi, & in pietatis erga sacratissima Domini vulnera affectu, Illustrissimus, ac Reverendissimus Princeps, Ioannes Georgius, qui in suâ Bambergensi Ecclesiâ solemni ritu officium singulis diebus Veneris de passione, & vulneribus Domini, perpetuis deinceps duraturum temporibus, insigni pietate restituit, decrevitque ut clavi, quo Christus cruci fuit fixus fragmentum, à sancto Henrico Imperatore illi Ecclesiæ donatum, ad publicam venerationem exponeretur, ut sacro hoc pietatis invitamento, omnium animos ad honoranda Christi Domini vulnera potentiùs instigaret.

In avitam Ecclesiæ pietatem oculos, animumque coniiciebant sacri illi Principes, quâ in vulnera Domini exarserunt Gregorius Magnus, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Bernardus, aliique, ut deinceps videbimus. Ita modò S. Gregorius Pontifex Maximus in hæc Canticorum verba; *Columba mea in foraminibus petrae, in caverna maceriae; per foramina petrae, inquit, vulnera manuum, ac pedum*

Cant. c. 2.

dum Christi in Cruce pendentis libenter intellexerim, caverna verò macerie vulnus lateris, quod lanceâ factum est, eodem sensu dixerim. Et bene columba in foraminibus petrae, & in caverna macerie esse dicitur, quia cum mentis recordatione patientiam Christi imitatur, dum ipsa vulnera propter exemplum ad memoriam revocat., quasi columba in foraminibus, sic simplex anima in vulneribus nutrimentum, quo convalescat invenit. Ita sapidâ hâc doctrinâ, mentem nostram nutrit Gregorius.

Nec minus acres stimulos animis subdit Innocentius VI. his verbis: *Quid, In Bulla de festo Lancea. quinque Domini vulneribus sanctius? Quid plagis ejus salubrius? ex quibus salus nostra processit, ut omni pietate à Christiano populo colenda sint. Pontifices summos uti dignitate, ita in vulnera Domini pietate sequantur sanctissimi atque eminentissimi Cardinales.*

Locutus est, inquit Scriptura sacra, Salomon tria millia parabolas; & fuerunt carmina ejus quinque millia, & disputavit super lignis. In quæ verba ait B. Petrus Cardinalis Damianus, locum hunc vero nostro Salomoni convenire, qui tot versus composuit, quot nobis reliquit

quit

quit documenta : quia super sua arbore , quæ in-
 star multarum erat , docuit tamquam ex cathe-
 drâ. fuerunt carmina illius quinque millia , ait
 Scriptura ; ubi præsto subjungitur ; quia dispu-
 tavit etiam super lignis : quæ scilicet Redemptori
 nostro non ambigo cuncta competere , cuius carmi-
 na quinque millia sunt , quia quinque sunt vulnera
 Dominici Corporis , quibus , quasi quinque carmi-
 num millibus , per univversum orbem triumphales
 ejus victoriæ celebrantur.

Itaque , ut ex B. Damiano didicit Bal-
 thasar de Paez , pius admodum ex ordi-
 ne SS. Trinitatis , Redemptionis capti-
 vorum , & doctus scriptor , quinque
 millia carminum , quæ noster Salomon
 fecit , & docuit in cathedra augustali
 crucis , sunt mysteria quinque vulne-
 rum , quæ in illa pertulit ; quorum
 quodlibet continet mille propositio-
 nes , aut mysteriosas conclusiones , quæ
 omnes spectant ad ejus gloriam , &
 triumphum , quem suis vulneribus pro-
 meritus est ; ex quibus tanquam ex tot
 oribus , carmina illa quinque millia conci-
 nuntur . ita hic Author B. Petrum Car-
 dinalem Damianum secutus.

Exem-

Exemplum hujus pietatis illustre etiam fuit D. Bonaventura S. R. E. Cardinalis, qui sacra Domini vulnera quantopere habuerit in deliciis videbimus sæpius. Ita ipse modò ingeniosa & eloquenti devotione: Domine, inquit, Iesu, pro ^{P. I. stitit.} me fecisti cælum & solem; lunam & stellas; ignem ^{c. 15.} & aërem; aquam & terram; aves & pisces; bestias & reptilia; arbores & flores; herbas & olera; aurum & argentum; & lapides pretiosos. Sed quis de manibus tuis quaesivit hæc? sine petitione, sine instantiâ hæc omnia nobis dedisti; & totâ die affligo animam meam, petendo ignominiosissimam mortem tuam, ut hanc comprehendam, huic compatiar, hanc imiter, huic conformer; & vix possum aliquam guttulam impetrare. Scias Domine Iesu, quia omnia visibilia mihi vilescunt, quæ universa tibi restituo; sed da mihi vulnera tua. Hæc super cælum habitant cor meum; super sidera refulgent, & illuminant intellectum meum; super terram stabiliunt voluntatem meam; super ignem accendunt affectum meum; super aërem fecundant sermonem meum; super aquam emolliunt animam meam. Hæc a vibus, bestiis, ac piscibus utiliora, fructibus suaviora, arboribus ac floribus amœniora, auro, argento, lapide pretioso pretiosiora.

siora. Ita ad vulnera Domini anhelabat, ita ea venerabatur D. Bonaventura, qui ex illorum meditatione affurgens, videbatur sibi omnia, quæ oculis obiciebantur sanguinea, & Domini Iesu cruore asperfa conspicerere.

*Philip.
Megam. in
Bibliotheca.*

S. Bonaventuræ purpuræ, purpuratum sæculi hujus Patrem subnecto; quem non semel cruor proprius recolentem Domini passionem, ac vulnera purpuravit. Alexander is est Ursinus, nobilissimâ Romanos inter Principes familiâ, qui æneam crucifixi Salvatoris effigiem, clavorum cuspidibus asperam, ad nudum pectus gerens, eam manu sæpius admotâ, non sine vulnere, ac sanguine, apprimebat. Ita cum Apostolo *Gal. c. 6.* *Stigmata Domini Iesu, non in corde tantum, sed & in corpore suo portabat,* pius æquè, ac magnus Alexander.

*Instit. Spir.
cap. 6.*

Alexandro succedat Ludovicus Blofius, qui ait, *vel unicam humilem, atque amorsam conversionem ad dulcia vulnera Salvatoris, ipsi gratiorem esse, quàm sit omnis vocum, sonorumque musicorum harmonia, ac suavitas.*

Narrat vir venerabilis Ludolphus de

Dominum magno Dei servo, sacris vulneribus suis luculenter insignitum, apparuisse, ei que affirmasse, nullum sibi gratius obsequium ab hominibus exhiberi posse, quam si sacratissima ejus vulnera semper in memoria foveant, ea que singulari aliquo pietatis exercitio venerentur.

Vita Christi p. 2. cap. 18.

Quod peregit B. Vbertinus de Cafali, è S. Francisci Ordine, vir religiosissimus, ac doctissimus; qui dicere solitus erat, singulis diebus Veneris, non aliud se mente volvere, quam clavos, spinas, & crucem Domini, neque se cibo alio animum pascere, quam sanguine, ac vulneribus Salvatoris. Beati, qui sic esuriunt, & saturantur.

Anony. in libel. Ital. de pass. Dom.

Miranda magis, quam imitanda, fuit Petri conversi, Abbatia Villariensis in Brabantia Gallicana, erga vulnera Domini devotio. Manus ille sibi pedesque perforavit; latus verò aperuit candenti ferro, & ne vulnus coiret, contextum è setis equinis funem in illud immisit, ut servus Domino suo quam simillimus, Domini sui, quàm li-

Barth. Fizen in Flor. Eccles. Leod. 16. Jan.

C

cet,

cet, vulnera, eorumque dolorem, nunquam non sentiret.

*Vital. I.
cap. 17.*

Excelluit etiam hac in pietate beatus Aloysius Gonzaga, Societatis nostræ; de quo memorat Virgilius Ceparis, quòd cùm anno partē salutis octogesimo primo supra millesimum quingentesimum, unà cum parente Ferdinando Marchione Castilionensi in Hispaniam proficisceretur, & in maris littore deambularet, ac sanctissima quinque Christi Iesu vulnera contemplan, durissima quæque pro Salvatoris sui obsequio, pati desideraret, inter arenas, & maris ejectamenta, lapillum invenerit, in quo quinque Domini vulnera affabrè sculpta, magna luce refulgebant, quem super aurum, & topazium, reliquo vitæ suæ decursu, dilexit, & asservavit.

Sebastianus Tuccius Societatis nostræ Sacerdos (quem morti proximum cùm anno 1597. Clemens VIII. Pontifex Maximus singulari gratiâ invisisset, se virum sanctum vidisse dixit) notis singulis peculiari aliquo cruciatu

tu

tu manus, pedes, ac latus ob sacrorum vulnerum Domini reverentiam, graviter affligere erat solitus.

Filiis patrem subiicio, à quo illi pietatem hanc hauserant. Est is B. Franciscus Borgia, Societatis nostræ Generalis III. qui sacrosanctum Missæ sacrificium, non aliâ in Basilicâ, quàm in vulneribus Salvatoris, non aliâ in arâ, quàm supra cor ejus divinissimum peragebat. In illo autem, cum ad *Memento*, quod appellamus, pervenisset, in dexteræ manus vulnere, Deo summum Pontificem, Cardinales, Episcopos, Prælatos, Pastores, Statum omnem Ecclesiasticum, universæque Ecclesiæ necessitatem commendabat. In vulnere sinistræ manus, pro Regibus, omni-que statu politico; In vulnere pedis dexteri, pro Religiosis Ordinibus omnibus, & singulariter pro sibi commissâ Societate, Deum precabatur. In vulnere sinistri pedis, consanguineos, amicos, benefactores, & omnes qui se ejus precibus commendarant, Deo offerebat. Lateris vulnus sibi servabat, in

*Alphon.
Rod. tract.
de Missa.*

quod ipse se recipiebat, à divinâ misericordiâ vir humillimus petens, peccatorum suorum remissionem, & in necessitatibus omnibus auxilium: in hoc socios sibi adlegebat Societatis adversarios omnes, ut horum cordibus sacro illo sanguine emollitis, ad Dei, animarumque obsequium benevolentiores nobis, ac commodiores fierent. Quâ eâdem praxi, salutandi vulnera Domini, vir piissimus utebatur, quoties interdiu, quod identidem faciebat, eadem in venerabili Eucharistiâ, vivo illo memoriali Passionis, salutabat.

*Paul. Bar.
in an. Sac.
p. 1. c. 8.
c. 12.*

Cæpi à Carolo Imperatore, finio in Carolo Principe, Comite Flandriæ, S. Canuti Daniæ Regis filio. Is tanto Patre digna soboles, singulis per annum diebus, ob venerationem cruentorum quinque Domini vûnerum, pauperes quinque vestiebat, eâ mente ac desiderio, ut sanguine Domini insigniri & quasi vestiri mereretur. Quod ex voto suo consecutus est, dum justitiam atque pauperes propugnans, à subditæ sibi urbis cive trucidatus, specio-

ciosius Martyrii, quàm dignitatis suæ purpurâ fulsit. Atque hæc est, ut alios prætermittam pietas sanctorum, atque servorum Dei, quâ sacra Domini vulnera venerati sunt.

§. IV.

*Eadem pietas Sanctarum, & Servarum
Dei.*

AGmen hoc sacrum ducet sancta *Bar. ibid.*
Margareta è divi Dominici Parthenone, Belæ ac Mariæ Hungariæ Regum filia, quæ nunquam orationi vacabat, nisi proposito sibi ob oculos crucifixo: ab ea nunquam recedebat, nisi prius magno pietatis sensu, sacros Domini pedes, deinde manus, demum latus osculata fuisset; variis diebus (uti illam impellebat pietatis varietas) modò hoc, modò illud vulnus sibi domicilium eligens. Atque ita sacrorum Domini vulnerum memor Margareta, indies amoris ejus jaculis vulnerabatur, uti S. Mechtildi Salvator promisit.

C 3

V. Ma-